

CAPUT PRIMUM.

Complectitur contradictiones Illyrici.

Igitur noster Illyricus (ut ordiamur ab eo quod primo loco propositum est) pro sua gravitate et constantia in asserendis sententiis, non tam quid sit in re, considerare solet, quam quid proposito suo maxime deserviat. Itaque si affirmare aliquid causæ, quam defendit, utile est, confidenter affirmat; si rursus illud ipsum negare, rei suæ conducere putat, audacter negat, parum omnino laborans, cohærenter scripta sua inter se, an secum ipsa pugnent, et utrum unum alteri opem ferat, an potius, tamquam in bello sociali, unum evertatur ab altero.

I.—In libro, quem nuper edidit de translatione Imperii, passim figmentum, et fabulas appellat, quod vulgo creditur, imperium Romanum translatum a Græcis ad Germanos Summi Pontificis auctoritate. Atque ut aliquem certum locum notemus, titulus secundæ partis primi capituli hic est: « Quod non sit facta per Papas imperii translatio a Græcis ad Germanos ».

Sed nimirum cum hæc scriberet, oblitus erat quid paulo ante scripsisset. Nam in libro contra primatum Papæ pene extremo, notas Antichristi explicans, quinto loco hanc ponit de translatione imperii, et quidem his verbis: « Antichristus apparebit cum Romani regni defectio fiet, et reddet Romanis libertatem, sub suo tamen nomine. Hoc accidit ante annos 700. cum Romanum imperium ruebat, et a Papa, non tamquam Cæsare dictatore, consule, aut senatore, sed ut a Papa Romano nonnihil instauratum est: tunc enim Papa suam potentiam et impietatem propagavit ». Sic Apocalyp. XIII. *Læsa bestia ab alia simili agni bestia honoratur* (1). Nec solum in eo libro, sed etiam in Centuriis idem affirmat Illyricus. Sic enim scribit centur. 8. cap. 10. col. 751. « Atque ita imperium Romanum ad Carolum, et Francos (Leo Tertius) transtulit, et tamen sibi reservavit jus Francis imperandi. Atque hinc factum est deinceps, ut qui imperii sceptrum acciperent, a Pontifice inaugurarentur, estque hæc translatio præcipuum ex miraculis Antichristi », Apocalypsis XIII. et XVII.

Quid hic Illyricus, eliges? si transtulit Ro-

(1) Apoc. XIII.

manus Pontifex imperium in Francos, totus liber tuus de translatione imperii corrui: si non transtulit, corrunt partes non exiguæ tum ex libro tuo contra primatum, tum ex historiæ tuarum Centuriis. Immo vero, sive transtulit Papa Romanus imperium in Francos, sive non transtulit, corrui liber tuus de translatione imperii. Siquidem Papam esse Antichristum, ex Verbo Dei efficacissima ducta ratione demonstrasse te putas in locis paulo ante citatis, quia videlicet Papam imperium occidentale instauravit, curavit (ut tu quidem interpretaris) plagam bestiæ, quod est miraculum, et nota præcipua Antichristi, Apocal. XIII. et XVII. Igitur in lib. de translatione imperii dum contendis tam acriter, non esse Papam auctorem occidentalis imperii, quid aliud contendis, quam id efficere, ut credamus falsam esse tuam illam demonstrationem, qua ex Verbo Dei probare volebas, Papam esse Antichristum? et tamen in hoc ipso libro, tertio quoque verbo repetis Papam esse Antichristum, in quo tu ipse tuam præcipuam demonstrationem labefactas, qua effici credebas, Papam esse Antichristum. Sed pergamus ad cætera.

II.—In hoc ipso libro de translatione imperii in epistola dedicatoria affirmat Illyricus jus in imperium Romanum Germanos adeptos esse ante annos 1500. cum videlicet Arminio duce duas aquilas Romanis eriperent; atque in hujus rei signum bicipitem aquilam Germanos imperatores in insignibus suis præferre. « Huc (inquit) referre possis, quod et mox post Julium, sub Augusto Germani duas aquilas Romanis justissimo bello abstulerunt ». Et infra: « Quandocumque igitur volet Romanus sacrificus, aliique imperii æmuli, cognoscere Germanorum monarchiæ originem, ac jus, intueantur modo, ac contemplantur ejus gloriosa insignia bicipitem aquilam ostentantia; et mox ea illos de origine jureque suo abunde edocebunt, ac vel invito convincent ». Hæc ille.

Sed hæc somnia, quæ nos infra cap. 6. refutabimus, refellit etiam ipse idem Illyricus cum ita loquitur centur. 9. cap. 16. col. 621. « Aquila Romana in duo capita statim in initio hujus sæculi (quod est ab anno 800 ad 900), divisa est. Nam Carolus Magnus a Leone Pontifice cum consensu senatus et populi Romani imperator Occidentis solemniter inauguratur anno Domini 801 ». Quo-

modo, quæso, ista cohærent, ut ante annos 1500. cœperit aquila biceps, et jus, atque origo imperii Germanici; et tamen aquila Romana anno 801., id est, ante annos 700. divisa primum fuerit, cum Carolus Magnus a Leone Pontifice imperator Occidentis primum inauguratus est?

III.—Rursum in libro de translatione imperii cap. 1. pag. 9. audet (inquit Illyricus) Gelasius Papa ad Anastasium imperatorem scribens 15. quæst. 6. can. Alius, affirmare, Zachariam Papam deposuisse Hildericum regem Francorum, et transtulisse regnum in Pipinum Caroli patrem. (Et infra: Tale mendacium ausus est Papa confingere, et Gratianus suæ rapsodiæ Decretorum inserere). Hæc ibi. At in historia longe aliter. Sic enim scribit cent. 8. cap. 10. col. 706. Pipino Zacharias Papa regnum Francorum dedit, idque ei tutum præstitit, deposito, et in monachum consecrato Carolomanno fratre ejus, et Hilderico rege priore. Poteratne clarius secum pugnare, et uno in loco destruere, quod in alio affirmavit?

IV.—In libro eodem de translatione imperii c. 1. pag. 12. affirmat Illyricus, Summos Pontifices quondam servos et mancipia fuisse Caroli, nunc econtrario a Summis Pontificibus adigi Cæsares ad turpissima pedum oscula. Quam fœda (inquit) est ista vanitas, quod Papistæ fingunt, illos servos et mancipia Caroli, imperium Romanum in Carolum transtulisse, eumque sibi ut vasallum quemdam dato feudo obligasse; ut nunc arctissimis juramentis Cæsares sibi obstringunt et etiam ad turpissima pedum oscula adigunt. Sed audi rursus ejusdem Illyrici verba ex centur. 8. cap. 10. col. 724. Pipinus (inquit) et Carolus filius ejus, in terram prostrati, pedes ejus (Stephani Papæ) osculati sunt, et stapedes ejus apprehenderunt, et frænum equi illius tenentes, stratoris officia ei præstiterunt. Quid hic dices Illyricus? Si Papa mancipium erat Caroli, qui factum est, ut non Papa Caroli, sed Carolus Papæ stapedes apprehenderit, et stratoris officium ei præstiterit? Et si nunc primum cœpit Papa principes adigere ad oscula pedum, quo pacto ante annos prope 800, Pipinus et Carolus humi strati, Pontificis pedes, nullo cogente, nisi Dei metu, ac reverentia, Christi Vicario debita, osculabantur?

V.—Eadem pag. 12. in libro de translatione imperii ita scribit Illyricus: Testantur quoque omnes historici, etiam ii qui Papis

sunt addictissimi, Leonem Papam mox ut electus fuit in Papam, misisse ad Carolum Magnum legationem una cum clavibus S. Petri, quod est papale insigne, et vexillis urbis Romæ cum Aquilis; petiisseque juxta Synodum Adriani, confirmationem sui, et ut aliquis mitteretur qui Romanos Carolo denuo juramento adstringeret; quod fuit extremæ subjectionis indicium. Hæc ibi. In Centuriis contrarium legimus; nimirum petiisse Leonem ut aliqui a Carolo mitterentur, qui Romanos non Carolo, sed ipsi Papæ juramento adstringerent, sic enim legitur centur. 8. cap. 10. column. 750. Legatos ergo inscio senatu cum muneribus ad Carolum mittit, eique sacras claves, insigne Pontificiæ dignitatis, et vexillum urbis Romæ, seu aquilam, signum imperii Romani offert, seque et urbem Romam ejus fidei commendat, ac postulat ut suos Romam ableget, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem Sacramento firmarent: juxta annales Francorum. Quæ verba alii (hoc est, Illyricus idem in alio loco) intelligunt. quod jusserit Romanos Francis fidem jurare; sed id non tam facile esset impetratum. Quare verisimilius est, quod petierit Romanos eo adigi, ut Pontifici jusjurandum præstarent. Quare Engelbertus, vel Agilbertus, abbas S. Richarii, jussu Caroli compulsi Romanum populum fidelitatem jurare Pontifici.

VI.—Pag. 22. Italiam ab Odoacre occupatam affirmat Leone Bessicano Imperatore. At cent. 5. c. 16. column. 1526. scribit id accidisse sub Zenone qui post Leonem juniorem Leoni Seniori, id est, Bessicano successit.

VII.—Pag. 26. et sequentibus, Theodoricum Ostrogothum, imperatorem Romanorum et Augustum, ac purpura Cæsarea ornatum fuisse fuse docet, ac multis testimoniis confirmat. At centur. 6. cap. 16. col. 840. disertis verbis dicit, Theodoricum eundem nec nomen nec insignia imperatorum Romanorum unquam habuisse.

VIII.—Pag. 49. Carolo Magno imperium Occidentis donatum fuisse scribit ab Irene, antequam idem Carolus a Leone coronaretur. At cent. 9. cap. 16. column. 621. scribit Græcos in imperium Caroli quodammodo consensisse, quod non possent mutare quod Leo fecerat Romæ, quando Carolum imperatorem appellavit.

IX.—Neque vero de Electoribus imperii minor est apud Illyricum, quam de ipsa im-

perii translatione dissensio : Nam in libro de translatione imperii c. 5. pag. 89. habentur hæc verba : Hic quoque ut ubique alibi, Pontificiorum parasitarum mendacia grassantur. Dicunt enim quod imperante Othone III, Gregorius V, Germanus, male a Romanis tractatus, suaque sede pulsus, decretum tulerit quod septem Germani principes, loco Romani populi, senatusque, imperatores in perpetuam posteritatem eligere deberent. Quod eorum figmentum mox evidenter, Deo dante, redarguemus. At in historia Ecclesiastica cent. 10. c. 10. col. 346. habentur hæc alia ejusdem Illyrici verba, quæ pugnent necne cum præcedentibus, vel ipse Illyricus iudex esto : Gregorius undecimo sui exilii mense, pristinae dignitati per Imperatorem restitutus, suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit, ut penes solos Germanos eligendi regem esset jus ac potestas, qui post diadema a Romano Pontifice acceptum, imperator et augustus appellaretur. Suntque electores constituti, Moguntinus, Coloniensis, et Trevirensis archiepiscopi, comes Palatinus Rheni, Saxonix, dux, marchio Brandeburgensis, et rex Bohemiae, qui paribus suffragiis electorum existentibus, litem inter eos dirimat. Ne autem liber de translatione imperii solum cum aliis ejusdem Illyrici libris, et non etiam ipse secum pugnare videatur, annotemus adhuc unam vel alteram contradictionem.

X. — In ipso igitur lib. de translatione imperii cap. 1. pag. 5. sic Illyricus loquitur : « Dei solius est iste titulus : Mea sunt omnia, ego do ea cui volo ; ego transfero regna, ac monarchias de gente in gentem pro meo arbitrio. Horrenda ergo blasphemia est, quod Antichristus, sicut in aliis omnibus se Deo exæquavit, immo et supra eum extulit, ita in hoc quoque gloriatur : suum esse transferre imperia ac regna ad quemcumque velit ; seque transtulisse Imperium a Græcis ad Francos, et porro a Francis ad Germanos ». Hæc ibi. At infra cap. 2. pag. 21. non vult solius Dei esse transferre imperia, sed etiam hominum. Siquidem docet non semel translatum fuisse imperium a Græcis ad Germanos : « Romani, inquit, aut potius Constantinopolitani imperatores sæpius jus Occidentalis imperii Germanis tradiderunt ». Et mox pag. 22 : « Prima igitur, inquit, translatio facta est sub Leone Bessicano, Constantinopolitano imperatore, circa annum 460. in Othacarum, aut Odoacrem ».

Et infra ponit secundam translationem factam a Zenone imperatore in Theodoricum ; tertiam ab Anastasio in Clodovæum ; et quartam ab Irene in Carolum. Sed si horrenda blasphemia est, quod Papa asserat, se transtulisse imperium in Germanos, quia transferre imperia soli Deo convenit, quomodo non est horrenda blasphemia, quod Illyricus asserit, a Leone Bessicano, vel ejus militibus, translatum imperium in Odoacrem, a Zenone in Theodoricum, ab Anastasio in Clodovæum, ab Irene in Carolum ?

XI. — Et si Antichristus est, et Deo se exæquat, vel super ipsum extollit, qui audet regna transferre, quod soli Deo est proprium, certe Antichristi fuerunt Leonis milites, necnon Zeno, Anastasius, et Irene imperatores, qui re ipsa (ut Illyricus dicit) imperium transtulerunt, ac Dei potestatem usurparunt. Papa vero non modo non est Antichristus, sed etiam Antichristo omnino contrarius, cum non solum imperium non transtulerit, nec Deo se æquaverit, sed etiam (ut idem Illyricus scribit pagin. 12.) se ut servum ac mancipium imperatori subjecerit. Nonne igitur Illyricus manifeste secum pugnat, cum passim in hoc suo libro Papam Antichristum vocat, et quidem extollentem se supra ipsum Deum et tamen in eodem libro tam humilem facit eundem Papam, ut se mancipium, et juratum servum imperatoris, esse fateatur ?

XII. — Rursum in eodem libro cap. 1. pag. 12 : « Ipsa, inquit Illyricus, vox translationis eos evidentissime mendacii redarguit : nam si transtulerunt Papæ imperium a Græcis ad Francos, sequitur Græcos esse plane privatos imperiali dignitate ». Hæc ibi. Sed paulo post pag. 22. et sequentibus numerat Illyricus quatuor translationes factas a Græcis ad Germanos, manente nihilominus etiam Græcis imperiali dignitate : quia videlicet non totum imperium, sed altera pars dumtaxat, quæ Occidentale imperium dicitur, translatum fuit. Aut igitur ipsa vox translationis Illyricum arguit evidentissime mendacii, cum ait pag. 22. translatum imperium a Græcis in Germanos a militibus, Zenone, Anastasio, et Irene, aut falsum est quod scripsit pag. 12. nam utrumque simul nulla ratione defendi potest.

XIII. — Sed insignis contradictio, et contumeliosa in Romanum imperium habetur ad finem epistolæ dedicatiorie : ubi sic Illyricus de se ipse loquitur : « Testor (inquit) me ab

omnibus sectis, erroribusque a Romano imperio, et Augustana Confessione damnatis abhorreere ». Hæc enim verba manifestam implicant contradictionem, nisi Romanum imperium Augustanæ Confessionis patronum, vel sectatorem Illyricus faciat. Quod certe facere non poterit, nisi cum manifesta ratione pugnare velit : constat enim Confessionem Augustanæ solum ex Romano imperio adhæsisse ac subscripsisse electorem unum, principes sex, et civitates liberas duas ; eandem vero Confessionem in eodem Augustano conventu publice reprobata, ac damnata ab ipso Romanorum imperatore Carolo ejus nominis quinto, ab electoribus quinque a principibus imperii partim ecclesiasticis, partim sæcularibus septem supra centum, ac deum a liberis imperialibus civitatibus novem et triginta ; tot enim fuisse Catholicos principes, et status imperii, qui in damnationem Confessionis subscripserunt, et subscriptionem sigillis suis munierunt, testis est Joannes Cochleus, qui in eo conventu præsens interfuit, in actis Lutheri anni 1530 et 1531. Cum igitur Romanus imperator cum longe majore parte principum, et statuum imperialium, Augustanam Confessionem damnaverit, merito ea ab imperio Romano damnata existimanda est. Nam si imperator, ut caput imperii, imperium universum repræsentat, quanto magis et certius conventus principum et statuum ferme omnium una cum ipso Cæsare imperium universum repræsentabit ? Quocirca merito Philippus Melancthon in epist. ad Joannem Obernburgerum ita scribit : Non delector recordatione comitiorum Augustanorum, in quibus tristi ac atroci sententia damnati sumus. Eligat jam Illyricus utrum voluerit : aut sequitur imperii Romani sententiam, et mentitur cum ait, se adherere Confessionem Augustanæ : aut sequitur Confessionem Augustanam, et mentitur cum ait, se abhorreere ab erroribus ab imperio Romano damnatis. Utrumque certe simul verum esse nullo modo potest.

CAPUT II.

Continet mendacia Illyrici.

Veniamus nunc ad alteram partem prolegomenorum, id est, ad mendacia quibus undique scatet Illyrici libellus.

Ac primum ipsam epistolam, qua librum suum dedicat imperatori Maximiliano, om-

nibusque imperii principibus, totam fere mendacii texuit, ut mirum sit eum tam impudenter tantis viris imponere voluisse.

I. — Non procul ab initio scribit politici Magistratus gloriam et dignitatem per Lutheri doctrinam esse illustratam, et contra seductores et oppressores ornatam, et vindicatam. Hoc (inquit) tempore instaurati Evangelii non uno modo gloria, dignitasque politici Magistratus est verbo Deillustrata, et contra seductores, ejusque oppressores speciose ornata, et vindicata ; quantumvis illi contrarium fingant. At quam hoc sit verum, testantur in primis libri ipsius Lutheri, quibus ita principes omnes in contemptum et invidiam adduxit, ut nihil aliud meditari videretur, quam principatum omnem de medio tollere. Sic enim loquitur in lib. de potestate sæculari, principes mundani sunt, mundus autem inimicus est Deo : idcirco, et ipsos quoque facere oportet, quod Deo contrarium, mundo autem consentaneum sit, ut scilicet non fiant infames, sed principes mundani permaneant. Ne mireris igitur si contra Evangelium furunt, et fatue agunt. Oportet ipsos titulo, nominique suo satisfacere, et scire debes quod ab initio mundi admodum rara avis est princeps prudens adhuc multo rarior princeps probus. Sunt communiter maximi fatui, aut pessimi nebulones super terram. Quapropter semper pessima quæque ab ipsis exspectanda sunt, et parum boni sperandum est, præsertim in rebus divinis, quæ ad salutem animarum pertinent. Ipsi enim sunt lictores, et carnifices Dei, quibus, utitur ira divina etc., et infra : Si princeps prosperatur, ut sit prudens, probus aut Christianus, hoc e magnis miraculis unum est, pretiosissimum signum divinæ gratiæ super eam provinciam. Nam juxta communem cursum evenit secundum illud Isaïæ III. Dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis, et Oseæ XIII. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea, et infra : Admodum pauci sunt principes, qui non habeantur profatis aut nebulonibus. Causa hujus est, quia et tales sese demonstrant, et populus communis fit intelligens, et principum plaga, quam Deus contemptus vocat, potenter progreditur in plebe, et communi populo, et vereor ne prohiberi non possit, nisi principes agant ut principes decet, et incipiant rursus cum ratione et modestia gubernare ; non ferunt, non possunt, nec volunt vestram